

ipforum *teneriores* & *agiliores spiritus*, qui nimis cito & nimis *praecipitanter*, quicquid praestant, peragunt. Sane respectu huius *salinae* substantiae paulo fixioris, minime reiiicula sunt ipsa quoque horum *extracta*, ut experientia locupleti testimonio confirmat. Neque frustra omnino est, quod *Hermannus NICOLAI* (vid. *BONETTI Med. Sept. collatitia, T. I. p. 689.*) monet, & velut ipsius Naturae indicio superstruit, quod *acriora* illa commodissime *temperatis*, & in specie *Cochlearia acetosae*, miscenda sint; uti iampridem *FORESTVS* eandem cum *Becabunga* contemperare fategit.

*Alia resolventia* huc quadrantia, sunt praecipue radices *salino-sulphureo* tenuissimo principio divites, *Ari*, *Helenii*, *Pimpinellae albae*, *Petasitidis*, *Bardanae*, *Vincetoxici*, *Cichor. Taraxaci* & *Diptamni albi*: *Herb. Betonicae*, *Capill. vener.* *Agerati*, *Chaerefolii*, *Origani*, *Centaur. minor.* ut & horum *flores* & *summitates*: *Semina temperata*, *Anisi*, *Foenicul.* *Coriandri*, *Carvi*, *Nigellae*, *Siler. montan.* *Gummata seu Gummi resinae*, *Ammoniac.* *Galban.* *Bdell.* *Sagapen.* & efficacissima *Myrrha*, modo debita circumspectione adhibita: *Succinum* quoque, & *Gummi Iuniperi* & *Ladani*, &c. Haec omnia & singula, ut & inde paratae *Essentiae*, *Extracta*, *Infusa*, &c. si pro diversitate *temperamentorum* recte usurpentur, efficacia utique sunt.

*Resolutis* ita humoribus, procedit facile sponte *motus* ipforum *passivus*; sed *viarum capacitas*, *distensio*, *flaccescentia*, requirit fere specialem indicationem. Licet enim antedicta *acriora* simul edant *nervino-tonicum* effectum, & simul vias quoque ad robur aliquod reducant, est tamen ille effectus magis *temporarius* tantum, & minus durabilis. Unde magis fere ad *mitigandum* malum, quam ad *evertendum* funditus, & *constanter curandum*, satisfaciunt.